



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

clxxxvii [i.e. vii]. Nutritio est motus factus ab anima à minore ad majorem  
substantia[m] viventem ex vitali conversione alimenti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

unione integrali ; etsi enim sint formalis ratio uniendi partes essentielles inter se , non sunt tamen formalis ratio uniendi partes integrales inter se seu seipsas, cum hæ partes integrales unionis essentialis ad uniendum inter se sint indifferentes.

VII. NUTRITIO species augmentationis, est motus factus ab anima à minore ad maiorem substantiam viventem ex vitali conversione alimenti. Distinguitur in multis, & in eo potissimum à generatione prima ( etsi per eam quoq; producantur unà cum unione essentiali ejus uniones integrales non differentes specie ab unione integrali partium unionis essentialis per nutritionem productâ ) quòd sit actio immanens & vitalis, generatio verò prima sit actio transiens. Est successiva & continua , sive dum fit, fit successivè sine interruptione ( quæ fieret , si alimenti pars aliqua determinata aliquo tempore per alterationem disponatur, & dein in instante inducatur forma aliti , & postea iterum per aliquod tempus disponatur alia pars determinata alimenti , interruptâ interea nutritione , & tum iterum in instante inducatur forma ) cum enim potentia

tentia nutritiva, utpote agens naturale, agat uniformiter difformiter, id est, prius & fortius in partes alimenti sibi viciniore meliusque sibi applicatas, alias post alias indeterminate alimenti continui partes alterat, ultimò disponit, ex iis formæ aliti partes, aut unionis solius educit, & ex hisce unionum essentialium partibus denique uniones earum continuativas. Neque his obstat, quòd in prima generatione non inducatur forma, nisi quando tota materia est disposita; prærequiritur enim ante informationem primam totalem animæ certa corporis magnitudo & organizatio, quæ in nutritione jam supponitur facta, adeoque hæc fieri potest in quantacunque exigua materiæ parte. Neque Arist. negat nutritionem hac ratione continuam, sed vult, eam non fieri continuè, id est, toto vitæ tempore. Porrò proximum alimentum viventium debet esse substantia, utpote reparativum jacturæ substantiæ; (hinc nec species Eucharisticæ nutrire possunt, nec odor, licet hic suscitet, confortet, recreet spiritus animales) eaque ex primis qualitatibus temperata (hinc pura elementa, ut-

m §                      pote

pote propter intensas qualitates à facultate nutritiva insuperabilia , esse non possunt alimenta ) & quidem attemperata alendo, sive similis cum nutriendo , & ei convenientis tēperamenti; unde quæ uni profunt, alteri sunt noxia. Alimentum proximum sanguine præditorum est sanguis , qualis ( etsi coagulatus ) etiam videtur esse medulla , à qua ossa nutriuntur. Sic ipse ventriculus potius sanguine , quàm chylo nutriri censetur , quia & ad hunc exsurgendum suas venulas habet , & sic materno sanguine ipse nutritus fuit , antequam ipse chylum conficeret. Quòd verò obesi minus sanguinis habentes plus nutriantur , inade est , quòd apud illos sanguis resolvatur in vapores , qui dein ulterius formantur in adipem.

VIII. ALTERATIO latè sumpta est motus ad qualitatem , seu mutatio rei secundùm qualitatem , qualiscunquè ea sit. Accepta strictius est motus ad solas qualitates habentes contrarium, ( non tantùm directè contrarium , qualis est nigredo respectu albedinis, sed & medio modo , qualis est viriditas respectu albedinis )